

ORATIO

IO. IACOBI GRYNAEI, DE
VITA ET MORTE REVERENDI ET
CLARISSIMI VIRI, FRIDERICI VVIDE-
BRA MI, Doctoris Theologi: Nonis Iu-
nij in Academia Heidelbergen-
si recitata

2

BARTHOLOMAEO PITISCO, GRVN-
bergensi, Silesio.

ADDITÆ SVNT CARMINA ET
Epitaphia in eiusdem obitum.

IGNATIVS.

Amor meus crucifixus est.



HEIDELBERGÆ,
TYPIS IACOBI MYLII.

clo 15 xvc.



Ob. 6. u. 3074

A D I L L V S T R E M E T G E N E -
R O S V M D . D . E B E R H A R D V M , C O -
mitem Solmensem , &c. Heidelbergensis Academ -
iae Rectorem Magnis
cum.

Hector Mæonides & fortē cantet Achillem:
Vergilius Phrygij prædicet arma Duci.
Nos Christi insignem multa pietate ministrum,
Insignem multa dicimus arte virum:
Qui vi vens docuit nos recte vivere: mundo
Excedens docuit nos, bene posse mori.
Eximia hæc laus est: quam si quis captat, eodene
Ad metam cursu, quo VVidebramus, eat.
Optatum monstrabit iter sermone diserto
Gryneus, Jacri parsq; decusq; chori.
Quem ceu voce prius, sic nunc evulgo libellis,
Idq; sub auspicijs M E N S G E N E R O S A tuis.
Ut cuius tumulus, tumulumq; sequentia Sacra
Splendore illuftri sunt decorata tuo:
Ille tuas laudes atque ornamenta viciſſim
Augere, & toto spargere in orbe queat:
Sicq; nouo exemplo ostendat, post funera gratus,
Ingrati quoniam mens sit habenda loco.

Bartb. Pitiscus.

PROGRAMMA.

RECTOR ACADEMIAE
HEIDELBERGENSIS, EBERHARDVS
COMES SOLMENSIS ET DOMINVS IN
Müntzenberg & Sonnenwaldt omnibus omnium
ordinum Doctoribus, Candidatis & to-
ti studiosæ Iuuentuti
S. P. D.

ERI manè, febre hectica consumens, piè & placide obiit, vir Reuerendus, & omnium bonorum memoria & amore dignissimus D. Fridericus VVidebramus, S. Theologie excellentissimus & orthodoxus Doctor: qui quum per omnem vitam suam piè, justè & temperanter vixerit: & in vita sua catastrophe, fidem erga Dominum Iesum Christum, charitatem erga totam Ecclesiam, constantiam in veritatis professione, patientiam & alias virtutes, sic omnibus qui eum inuisere solebant, probauerit, ut nemo non cum fructu sanctum senem & intuereetur & alloqueretur: dignissimus enim verò est, cuius exequias sua præsentia exornent omnium Professionum homines.

Hoccor itaque Academiae huius Doctores & Professores, litteratam Nobilitatem, studiosam Iuuentutem, ut frequentes paulò ante secundam horam pomeridianam accedant, ad ædes, in quibus excimus hic Dei seruus postremos suæ vitæ dies, sanctè & cum desiderio migrandi ad Christum, cui vixit & moriens est, clausi. Bene valete. Perscriptum 3 Maij. 1585.

ORATIO FUNEBRIS.

LIVSTRIS & Magnifice D. Rector, Idemque generose Comes: clarissimi Patres & Doctores Academicci, heroica Nobilitas, amplissimi Hospites, studiosissima Iuuentus:

Quanquam hoc nouissimo ultimæ Dei patientiæ tempore, neq; veritas, neq; innocentia ipsa, quicquam, seu publicè seu priuatim, profiteri potest: quod non in dubium vocare, aut theonino dente calumniando artodere ausit tragicus aliquis, suiq; fati immemor, Theocrites, cui ne quidem cum Sanctorum virorum in Christi Iesu sinu quiescentium memoria luctari, religio est: quia tamen nos decet, non vinci ab eo quod est malum, sed bonitate malitiam vincere: & supersunt bona Naturæ, quæ delestantur virtutum exemplis & elogiis, haudquaquam illibenter nonnulla dicam, de viri clarissimi & integerrimi, D. FRIDERICI VVIDEBRAMI, S. Theologiæ Doctoris orthodoxi, vite & ministerii, quo, Dei consilio seruiens, piè defunctus est, curriculo & periodo.

Quum autem mihi nequaquam dubium sit, de omnium vestrum præstanti tūm iudicio, tūm voluntate: non utar longo proemio: sed, in nomine Domini nostri Iesu Christi, initium faciam ab ea Davidis Regis & Prophetæ sanctissimi, sententia, diuinitus inspirata, cuius illustre exemplum, historia de vita, ministerio, & pio obitu Doctoris VVidebrami, nobis subministrat.

Iustus ut Palma germinabit: ut Cedrus in Libano succrescat cum augmento. Plantati in domo Iehouæ, in atriis Dei nostris florebunt. Psal. 92. II. 12.

Vt enim Palma arbor est ἡμεδόφυλλος, hoc est, frondibus perpetuo virens: ut impositis ponderibus

O R A T I O

neutiquam cedit: vt cultellato cortice difficilis est ascensu, fructus autem suauissimos profert: vt denique certaminibus sacris communes subministrat coronas: Ita hic vir longè optimus, per omnem vitam virescente laboribus, vulneribusque, virtute excelluit: cruce Christi in humeros sublata, ea quæ sursum sunt quærens, Dominum strenuè sequutus est: Mundus blandienti θυσίασθε, fructus dulcissimos Spiritus sancti, charitatem, gaudium, pacem, lenitatem, benignitatem, bonitatem, fidem, mansuetudinem, temperantiam, fructuosus ijs quibus cum vixit, protulit: & iam coelestis illius corona particeps factus est.

Vt etiam Cedrus, carie vetustateque consumi nescia, inter æternas materias, vt Plinius loquitur, commemoratur: ac teste Dioscoride, succum subministrat crassum, pellucidum & mirè odoratum, qui mortua corpora seruat incorrupta: Ita VVidebramus nos ter, cum Christo Iesu καλλιελασθε plantatus ita coaluit, vt huius virtutis viuifco, lucidissimo & fragrantissimo succo, in sese deriuato recreatus, illuminatus & perfusus, gustum æternæ vitæ superstes in hac mortali vita perciperet: & sese ad Christum per την Σαναστιανην optatam migrare cupere: ac ad beatam Σαναστιανην contendere, etiam in ultimo suo agone, sæpenumero profiteretur.

Hæc nimirum eorum est optatissima beatitas, qui plantati in domo Ichouæ, florent in atrijs Dei nostri: qui domestici Dei & Sanctorum conciues sunt: qui denique Ichouam timent, & in vijseius ambulant.

Cleobulus apud Diogenem Laertium, nimis verè affirmat, quosdam patriæ dedecori esse, quibusdam autem

FVNEBRIS.

autem patriam esse dedecori. Felices ergo sunt iij,
quibus patria benè morata ornamento est, & qui ei-
dem ornamento sunt.

In horum numero & noster Doctor VVidebra-
mus est, qui anno Epochæ Christianæ 1532, 4 die Iulij
(quo ipso die tredecim annis antè, D. Lutheri & Eccij
Disputatio, Lipsiæ haberi cœpit) Pesneceij, Voitlan-
diax oppido haud quaquam incelebri, natus, gloria no-
minis sui, patriæ celebritatem auxit. Prima tamen pa-
triæ laus ab Ecclesia, communī fidelium patria, cuius
ciuem esse præcipua laus est, vt ait Basilius, Dei benefis-
cio, eidem est concepsa.

Vt autem omnia humana ξύμματα sunt, & tem-
peramento rerum tristium ac lātarum constant, ac fe-
rè plus aloës quàm mellis habent: & verè dicitur in ve-
tere versu: Ipsa dies quandoque parens, quandoque
nouerca est: Sic annus ille, tristis quidem fuit obitu Il-
lustrissimi & pientissimi Principis, Ioannis, Ducis Sas-
soniæ, Electoris, qui ante biennium vnà cum alijs qui-
busdam Principibus, Augustæ, in Comitijs, Fidei suæ
Confessionem, Carolo V. Imperatori Augusto, obtu-
lerat: lātus verò & auspicatus, pacis publicæ benefis-
cio nostris Principibus & Magistratibus à Cæsare con-
cessio, donec generale, liberum & Christianum Conci-
lium celebraretur. Hanc autem impetrasse perhiben-
tur, Albertus Archiepiscopus Moguntinus, idemque
Marchio Brandenburgensis, & Ludouicus Comes Palati-
nus, Electores; quibus duobus Principibus supersti-
tibus, bellum ob religionem nostris non est illatum,
quòd essent quasi publici εἰρηκοοι in Germania no-
stra.

Natus est autem Doctor VVidebramus, honestissi-

ORATIO

mis parentibus, Bonifacio VVidebramo patre, & ma-
tre Anna Stappia, quæ fuit filia, Consulis eius Oppidi,
Friderici Stappij.

Quod si verum est illud Platonis, Quales sunt filii,
talis est & domus gubernatio : & illud Euripidis: Filii
mares sunt columnæ familiarium: benè moratam fuisse
oportet eam familiam in qua is natus est & educatus,
qui & habuit cur de honestate parentum gloriaretur,
& hoc præstitit, ut grandæua parens, sibi tali pietate &
ingenio filium esse, gratularetur. Vtinam verò Iuuen-
tus, tantiviri exemplo admonita, non memoria tan-
tum, sed etiam benefactis id repeatat, quod præclarè di-
xit Ioannes Chrysostomus: Iustius est vt de te glorien-
tur Parentes, quām tute de parentibus.

Patrem, VVidebramus noster admodum puer, non
amisit, sed ad cælestem vitam & consuetudinem præ-
misit: ac ipse, ab aucto materno educatus, quòd ingenio
esset εὐφυεῖς, ad studia literarum adhibitus fuit, in pa-
tria primùm, mox Neobyrgi & demum Isennaci: in
qua vrbe tum temporis egregij formandæ pueritiæ &
adolescentiæ artifices, & tanquam ἐργοδιώκται, Medle-
rus & Rosinus, florebant. Quòd autem hisce duobus
Præceptoribus eius indoles & ingenium probaretur,
& ipse sibi non decesset, felix fuit pueritiæ illius institu-
tio, & disciplina seuerior, quæ firmat ingenia, & apta
redit magnis conatibus: vt ait Seneca.

Quum autem nimis verè Theophrastus dixerit, ad-
modum difficilè esse de Iuuentute diuinare, quòd ea
ætas ferè incerta sit, sine scopo feratur, multisq; mu-
tationibus obnoxia, aliàs aliorum feratur: Prouiden-
tiæ diuinæ, & ei quidem admodum propitiæ, acceptum
ferri debet, quòd VVidebramus noster, ætatis suæ an-
no deci-

no decimo septimo, Christi Iesu 1549, lenam Thuringorum, tanquam ad mercatum bonarum literarum missus, optimos eruditæ doctrinæ & pietatis doctores, & morum gubernatores, Iuuenis sortitus est; & quod corundem virtutum exemplo se flecti passus est.

In horum numero erant, Erardus Sneppius, S. Theologæ D. eximius, cuius in dicendo dæmonitatem & vbertatem, illi qui viuum in laudatissima Tübingeri Academia, docentem audierunt, olim non satis celebrare poterant.

Victorinus Strigelius, dæmoniagyrus, secundum locum obtinebat, vir certè dignus Socratis laude, cuius his verbis meminit Xenophon: μόνορ δέ φάσκει θυτὸν ἀξέρεινα τιμῆς, τοὺς τιδότας τὰ δέοντα, καὶ ἐγμενεῦσαι διωξείν. Solos eos honore dignos iudicabat, qui ea quæ oportet sciunt, & recte eadem oratione sua explicare possunt. Quod enim Senecæ consilium sequutus, certis ingenij sibi immorandum, recte iudicaret: & Melanchthoniæ doctrine copia, & sermonis sinceritate, & proprietate, perspicuitate, & facilitate delectaretur: sic eum imitari studuit, ut tandem diligentia & exercitio iugi id obtineret, Melanchthonem ut felicissimè in docendo & scribendo repræsentaret.

Iohannes Stigelius, Poëta & vir optimus tertium obtinuit locum, tanquam Academicus τριταγωνιστæ, cuius institutione & exemplo excitatus VVidebramus, naturalem illum impetum ad Poëticen, ardentiorem & firniorem in se sentiens, carmen initio compone-re, tandem etiam magna vbertate suavitatemque fundere cœpit.

Biennio post, Iena, in quo oppido eo tempore non-B dum

O R A T I O

dū erat Academia priuilegijs instructa, VVitebergam
profectus est, vt Philippum Melanchthonem, Germaniæ Phœnicem illum Christianum, audiret. Etsi au-
tem hoc illi cum multis alijs commune fuit: felix ta-
men præ multis alijs idem fuit, singulari benevolentia
& amore tanti viri; & quod doctrinam Religionis,
quæ ab eodem piè tradebatur, recte didicit. Ut enī
Aristotelis perhonorificum fuit, quod annos viginti
Platonem docentem audiuit, eiisque familiaris fuit:
Theophrasto verò Lesbio, & Menedemo Rhodio,
quod Aristotelis γνῶστοι fuissent auditores & σπουδαῖαι.
Ita profecto, & Doctori VVidebramo, magnæ laudi
est, quod laudatissimo & integerimo viro, D. Philip-
po, mores, ingenium, harmoniam Musicam & poëti-
cam, ac in primis veram erga Deum pietatem ita pro-
bauit, vt ei charissimus & acceptissimus esset.

Magisterij Philosophici honestissimum testimoniū
(quo magni illi viri, præceptores nostri, Melanch-
thon, Camerarius, Simon Grynæus, contenti fuerunt)
in eadem Academia, Anno Christi 1555, ætatis suæ 22,
virtute & doctrina sua assequutus est; quum hoc illi
studio esset, quod Anacharsi, qui (vt est apud Dioge-
nem Laërtium) ad Croesum Lydorum Regem scribens,
olim testatus est, se ideò Athenis in contubernio cru-
ditorum, quam Sardibus in aula viuere malle, vt ali-
quando doctor & melior in patriam redire posset. Utis-
nam verò hoc ipsum omnibus qui honestissimo stu-
diosorum nomine gaudent, cordisit.

Sequente anno, duxa Isennaci in vxorem Elizabetha,
consulis Ioannis Noëdemi filia, pietatis, pudici-
tiae & industriae Oeconomicæ laude conspicua virgine,
maritus factus, de sacro & publico munere, in quo Dei
confilio

confilio, & aliorum vtilitati, pro eo talento quod à Domino acceperat, seruire posset, cogitare: & legitimam vocationem expetere & expectare cœpit. Sunt enim, vt habet Prouerbium: ἄφενον μάταιην ζωήν: expertes in uidentia Musarum ianuæ: ac bonæ naturæ, si quod talentum diuinitus sese accepisse animaduer-
tunt, id ad Dei gloriam, & multorum vtilitatem ero-
gare, studio habent.

Hactenus eam partem vitæ Doctoris VVidebrami breuiter mihi videor delineasse, quæ minus habuit alo-
ès, plus autem mellis: supereft, vt ad eam partem acce-
dam, in qua de laboribus, de certaminibus, & de explo-
ratione fidei illius, denique & de pio obitu, breuissimè
& citra μεμψιμογίαν & citra insectationem, mihi agen-
dum erit.

Quum Melanchthon prudentissimo Senatui Ser-
uestano hortator esset, VVidebramus ab hoc ad gubernationem Scholæ, Anno 1557 vocatus, de pueritiae
studijs optimè meritus est; quum, vt ait Fabius, ipse
præceptor nec haberet vitia, nec etiam ferret. Quia.
tamen Optimus quisque Præceptor frequentia gau-
det: vt idem Fabius testatur: ex anno biennio, bona
cum omnium pace, Isennacum migrans, sibi de-
legatum Rectoris in eius oppidi Schola munus sus-
cepit, coquæ fideliter per aliquot annos defunctus
est.

Etsi autem imperitis rerum æstimatoribus, humi-
le istud vitæ genus esse videtur, in puluere scholastis
co versari, & in eo florem ætatis consumere mo-
lestum: & indignum homine ingenioso: quia tamen
præceptoris opera ad hoc prodest plurimum, vt pueris
honesta faciat iucunda: vt Plutarchus alicubi monet,

O R A T I O

ac verè dixit Cicero : Nullum munus melius maiusúe Reipub. adferre possumus, quām si doceamus & erudiamus iuuentutem, ijs præsertim moribus & temporibus, quibus ipsa prolapsa est, vt omnium opibus refrenanda atque coercenda sit: quantum Respub. Christiana Ludimagistris doctis, ad docendum aptis, laborum tollerantibus, disciplinæ amantibus, debeat, nōn certè obscurum est.

Vt autem virtus & doctrina in obscuro esse nequeunt: & mediocres honores tempus auget; immodicos abolet, vt prudenter Theopompus Pylijs rescripsit: sic VVidebramus noster super pauca fidelis, super multa autem constituendus, diutius latere non posuit. Vocatus literis publicis Ienā Thuringorum, in efflorescentem Academiam recens institutam, linguae Latinæ Professorem egit ex Virgilio & Cæsare: ac Dialecticen, quæ est ὕγιανος ὅργανως & Philosophiæ manus fideliter exposuit: dignus profectò insigne eloquio, quo vetustas Epicharmum olim suo merito commendauit:

πολλὰ γερὴ ποτέ τὰ μὲν τοῖς παισὶ μὲν περίπεταί σιμά:
μεγάλα χάρις ἀντῷ.

Quod autem in ea virbe, quidam εἰπεοδιδασκαλεῖται, parum æqui essent, pridem piè defuncti Melanchthonis doctrinæ & consiliorum æstimatores: atque adeò ijs omnibus, qui hęc probantes, delebatabantur memoria virtutum, doctrinæ, & meritorum in Rempub. Christianam tanti viri, infesti essent: factum est, vt humanissimis literis Doctoris Peuceri, doctissimi ac optimi quidam viri, VVitebergam accerferentur, ac è quoque sese conferrent. In horum numero fuit & Chri-

Christianus ille clarissimusque Iurisconsultus Germania, Dn. Matthæus VVesenbeccius, & VVidebramus noster; qui illud Ciceronis ad Atticum dictum probans: *Nihil bono viro ac quieto magis conuenit, quam abesse à ciuilibus controuersijs: cedendum sibi τὴ θεμομάχια & odijs quorundam hominum censuit:* Acut sæpe boni viri, ne cum arena luctandum esset, vehementioribus ingenijs cesserunt, ne maiores motus in Ecclesia aut Republica excitarentur.

Factum est autem, Anno Christi 1570, vt vnanimi consensu, Ecclesiæ, Senatus & Academiæ VViteberensis, cura Pastoris eius Ecclesiæ, post obitum Ruerendi & clarissimi viri Doctoris Theologiæ, Pauli Eberti, Domino VVidebramo, serio tantam prouinciam detrectanti, demandata sit. Tanti munericis functionem, quum diu multumq; citra ἀκιστούς suscipere recusauisset, amplexus tandem fuit cum hac protestatione, vt videlicet cæteri Theologi, si quādo res ita postularet, consilio & auxilio ipsi prestatè essent. Non enim solebat ιδιοθάλεύσης, & seipsum solum audire, admirari & efferre: vt faciunt σχυζογνώμονες & ambitiosi homines.. Non autem multò post mandatu Illustrissimi Principis Electoris, Saxoniæ Ducis, D. AVGVSTI, vna cum alijs quibusdā doctissimis viris, Theologiæ Doctoris gradu & testimonio est ornatus. In horum numero fuerunt, viri bonorum amore ob virtutem & ὀρθοδοξίαν dignissimi, Henricus Moller, quem doctissimum: Caspar Cruciger, quem acutissimum: Christophorus Pezelius, quem disertissimum: vt VVidebratum nostrum pientissimum grauissimumq;, felicem & sapientem ingeniorum estimatorem, pronunciasse acceptimus: D. P E V C E R V M: cui viro, doctrina & virtute:

præcellentι, non cum Antisthene, Socratis robur & tolerantiam: sed potius cum Petro Apostolo, virtutem in fide, & mitigationem ærumnarum opto. De cæteris viris clarissimis, qui istorum εμπαγεστων & collegæ fuerunt, ideo mihi nihil dicendum censeo; quia vnumquemq; sua suorumq; laude delectari persuasum habens: malim illis apud Christum Iesum bene precando prodesse: quām apud homines meo encomio molestus esse.

Accepi Dominum VVidebramum ingenuè magnis quibusdam in hac vrbe viris fassum esse, se, quum ad Ministerium Ecclesiæ accederet, alienum à sententia, quam de Eucharistia nostræ Ecclesiæ profitentur: hoc tantum habuisse, vt nostros iudicaret odio nō habendos, nec hostilibus anathematismis & virulentis Scriptis insectandos. Sed quum incidisset in quosdam doctos & exercitatos homines, qui ijs argumētis piam nostram doctrinam defendebant, quibus non nisi responsionibus ab ipsomet D. Luthero in polemicis scriptis traditis, satisfieri posse opinatus fuerat: vbi vidisset nullum Argumentum ita solidè ab eodem confutari, paginas interdum ironijs, sarcasmis & alijs inconsultis vocibus respergi: lacrymis præ dolore se paginas illas madefecisse, confitebatur. Fossassis aliquis στρογγύλων sinistrè id interpretaretur. Sed tamen, quum Lutherum Deiserum, non ita impotenter in conseruos, doctrinâ, si non superiores, certè pares, debacchari & detonare debuisse, serui Christi officium postulet: quis miretur, tūm VVidebramum deplorasse Lutheri infirmitatem: tūm multos modestos & elegantes homines, à nobis admici, vt illius viri Scripta polemica legentes, quid de eius doctrinâ.

doctrina Eucharistica sit statuendum, ex vehementissimæ intemperie gustu, cognoscant. Vtinam, vtinam homines moderati, qui Lutheri opinionem imbibe- runt, Lutheri polemica Scripta legant, & ad analogiam fidei exigant: nec de Lutheri dogmate prius pronun- ciant; quām, accuratè illius Scriptis lectis, & cum vel v- njco Oecolampadij Dialogo collatis, quid sibi tādem sit statuendum, intellexerint. Nam & illis diu delibe- randum, quum semel est statuendum.

Anno 1572, Dresden vnà cum optimis & doctissimis Collegis vocatus est VVidebramus, vbi cōsensu Theologorū, qui tum erant in ditione illustrissimi Electoris Saxoniæ, Formula Consensus Dresdensis deliberata & edita fuit.

Sequente anno, Thuringiacarum Ecclesiarum inspec- tionī, vnà cū alijs quibusdam Theologis, interfuit.

De his omnibus, vt maximè nemo nostrum sibi iudi- cium sumat: quod de ijs quæ minùs comperta nobis sunt, minimè nobis sit pronunciandū: ne videlicet cal- culi nostri præuentant cognitionem: Christianæ tamē charitatis fuerit, omnia in meliorē partē interpretari; nec prius de aliorum laboribus, consilijs, dictis, factisq; pronunciare, quām censoria æstimatione, eaq; seueris- sima, erga nosmetipso defuncti fuerimus.

O vtinam nos adsuefaciamus ad eam moderatio- nem & ἐπιείκειαν, vt quū de alijs nobis est pronuncian- dum, initium faciamus à virtutum Dei que donorum humanissima inuestigatione, & candidissima æstima- tione; nec temerè, nec προπτερῶς, nec etiam prius ad reprehensionem ullius vel minimi vitij acceda- mus, quām nos ab eo tam longo discrimine abesse rectè collegerimus, quanto à Smaragdo vitrum, ab auro plumbum, abesse intelligimus. Sed hanc mo- dera.

O R A T I O .

derationem probabunt ij, quibus id dabit is qui dixit,
ad confusionem superborum , ad solatium humili-
um: DISCITE A ME, QVOD MITIS SIM ET HV-
MILIS CORDE. Matth. ii. 29.

Interea dum hæc fiunt, Dominus Iesus respexit os
ptimum virum Doctorem VVidebramum, & eodem
tempore , veritatis circa rem Eucharisticam fulgore,
mentem eius magis magisq; illustravit; & eundem ve-
ritatis comitem C R V C E M gestare iussit.

Præclarè autem Maximus in Sermone de Martyri-
bus dixit: Crux non solum dicitur, quæ tempore pa-
ssionis ligni affixione conficitur: sed quæ totius vitæ
curriculo cunctarum disciplinarum virtutibus co-
aptatur. Ut non solum intelligatur crux ligni pati-
bulum , sed piæ vitæ, virtutisq; propositum: vnde o-
mnis Christianivita, qui secundum Euangeliū vixe-
rit, crux est atq; martyrium.

Sequente anno, qui fuit 1574, ob diu multumque
denegatam subscriptionem Torgensium Articulorū,
De controversia Eucharistica, vna cum alijs præ-
stantibus viris, captiuitate, cuius (vt in Epistola qua-
dam ait beatus Hieronymus) nulla maior calamitas
est, quam ad alienam libidinem trahi , & menstruo
carcere mulctatus: certis tandem expressisq; condi-
tionibus , quarum testes se fore quidam Lipsenses
Theologi, sanctè receperant, eisdem subscripsit. Sed
conditiones ex postea (vt mollissimè loquar) ab his
neglectæ, nec etiam editæ fuerunt.

Mihi sanè de eiusmodi subscriptionibus, quæ nunc
etiam à luri consultis, à Medicis, à Philosophis extor-
quentur (vt Scripta quædam noua, ephemera, male-
dica in Ecclesiis auctoritatem aliquam fidemq; con-
sequan-

sequantur) cogitanti, s^ep numero in mentem venit Hilarij Pictauiensis, de Concilijs differētis, oratio memoria dignissima, in qua Gallicanis Ecclesijs eo nomine plurimum gratulatur, quod nullam aliam nec excusissent, nec receperissent, nec omnino nouissent Confessionem, quam veterem illam, & simplicissimā, quæ ad ætate Apostolorum apud omnes Ecclesias recepta fuerat. R^{es} enim ipsa loquitur, Formularum istarum, & subscriptionum, si semel Diotrephe^s vnu^s aut alter dominari Clero Domini cœperint, nullum finem esse: præsertim si hi Magistratum habeant plus a quo credulum & sibi obsequentem.

Post hanc tragœdiam, Naumburgum est relegatus, & per triennium in ea vrbe commoratus, Psalterij ἐμμετρού versionem, quam Christo Domino in carcere revouerat, absolu^tuit. Memini autem me audire versus quosdam de illius in ea vrbe exercitijs priuatis, qui ita habent:

*Hic studijs miscere preces, lacrymasq^{ue} solebam,
Tristis in exilio quum VVidebramus eram.
Solus eram, nec eram tamen illo tempore solus:
Quando suo mecum numine Christus erat.*

Post exactum triennium exulare iussus, (id quod illic & cum alijs bonis commune, & patrimonij cauſa difficile & singularis damni cauſa fuit) quum loca quadam adjisset, hospitium tandem honestum, & functionem sanctam obtinuit in valle Deciana, benignissime eum vocante & tanquam Eliam exulem suscipiente, illustri & præpotente Heroe, D. IOANN^E Comite Nassouiensi, cuius ea erat animi tūm magnitudo tūm pietas, vt Christi seruos & testes, nequa-

C quam

ORATIO

quam in cuiusquam alterius Dynastæ gratiam, sibi iudicaret aspernandos: quo nomine & Ipsius excelsitati, & heroicæ posteritati haud dubiè benedicet Deus, eamq; mercede prophetarum ornabit.

Vt autem vir bonus κοινός & γαθός, commune bonum est, nec quicquam aliud maiori studio habet, quam ut multis profit: ita VVidebramus noster, non tantù Ecclesiæ, cui tum præesse cœperat, piè tūm docendo tūm viuendo; sed etiam viciniæ, cùm Ecclesiarum inspectione ipsius fidei & curæ demandata fideliter defungeretur, plurimum profuit.

Anno 1579, rogatu amplissimi Senatus Bremensis, & venia illustris Comitis ac Domini sui, Bremam, vna cum viro clarissimo, D. Christophoro Pezelio, S. Theologiæ & orthodoxo & disertissimo Doctore, est profectus, ob dissidia quædam inter verbi Dei Ministros tum ibidem gliscientia, quæ, Deo ipsorum consilijs benedicente, vtriusq; diligenti moderatione, studio veri & grauitate simplici, sunt sopita.

Quadriennio pòst, collega Reuerendo & clarissimo viro, Gaspare Oleuiano S. Theologiæ Doctore, Ecclesiæ in ea ditione Solmësi, quæ subiecta est inclyto & illustri, magnanimoque Heroi, D. Conrado Comiti à Solms, Braunfels, & Domino in Muntzenberg, reduxit ad synceritatem puritatemq; doctrinæ Apostolicæ, & ceremoniarū primitiæ Ecclesiæ. Vtinam id in alijs quoq; Ecclesijs, in quibus non paucæ Pontificiæ corruptelæ in ceremonijs & liturgia Sacramentorum reliquæ hæserunt, tandem aliquando præstetur.

Scio ego, quosdam sic acquiescere in rudimentis illis suæ Ecclesiasticæ Reformationis, & in hominum quorundam qui illis tum defunctisunt, quum obsecnior

tior adhuc doctrinæ fulgor in eorum mentibus esset, nimia admiratione: ut eos tanquam nouatores accusent, qui nonnulla emendant, quædam etiam abrogant, ut horrendos illos exorcismos in Baptismo infantum: idola, & alia portenta.

Verum enim uero, illos cogitare oportebat; primum, neq; Lutheri, neq; vlli alterius tantam apud pios auctoritatem esse debere, ut eius præiudicio contentos, negligere & institutionem & exemplum primitiæ Ecclesiæ oporteat: deinde, multò satius esse, si quæ Ecclesia sua vulnera & suos nœuos sentiat & agnoscat, & illis medicam manum adhibeat: quām si lethargo & stupore laborans, sua mala non sentiat, ac proinde nec medicam manum admittat.

Vocatus tandem est Doct̄or VVidebramus, ab Illusterrimo & potentissimo Principe nostro, Duce Ioanne Casimiro, Comite Palatino ad Rhenum &c. Heydelbergam, Anno 1584, ut deliberationibus de Ecclesijs & Scholis rectè regendis, vñacum alijs quibusdam clarissimis & optimis ac prudentissimis viris, Senatoribus Ecclesiasticis, & interesset & præcesset.

Memini me audire à Cl. viro, Doctore Io. Iacobo Grynæo, factum, ut cum vtriusq; ipsorum opera, diuersa nonnihil ratione, conducta esset ab Illusterrimo Principe, ac Grynæo Basileam recurrendum esset; VVidebramus hoc Propemtico votiuo ipsum prosequeretur: cuius etiam paulò ante sanguinem vitæ huius exitum memoriam restricens, benè precatus est ministerio ipsius Academico, ac Deo gratias egit, quod sibi datum esset, inter sancta Domini Grynæi (qui ipsum non infreuentur inuisere solebat) collo, quia postremos vitæ huius dies claudere:

ORATIO

*Quos animis dudum iunxit communio Christi,
Quām bene corporibus nunc quoq; iunxit amor!*

*O G R Y N A E E meipars altera pectoris, unus
Dum sumus in Domino spiritus atq; caro.*

*Quām cupiam vitæ reliquum traducere tecum,
Inq; tuo moriens claudere fata fini:*

*Ut lucrari Animas, de carne & sanguine Christi
Falsa refutando, vera probando, queam?*

*Vade, redi in columis G R Y N A E E, interq; precandum
Cum pietate mei nominis esto memor:*

Donec ab his turbis ereptos, pace perenni

Vnanimes cæli iungat in arce domus:

Accidit autem illi id quod est in vetere proverbio:
Mala senium accelerant.

Αἰταγωρ ἐν κακότητι θροτοὶ καταγιγάσκοσι.

Quippe repente homines curiſq; malisq; senescunt.

Docendi laboribus, curis de Ecclesia, incommodis
exilij, iniurijs aduersariorum fractus & confectus, Hey-
delbergam superiore anno venit: ac tandem hectica
febre, ad quam alia quoq; symptomata accesserunt,
correptus, toto illo tempore quo decubuit, summisit se
instar agni sub potentia manu Dei. De vita æterna, & de
sua ad Christum migratione, & cū Grynæo, & cum alijs
optimis & clarissimis viris libetissime colloquebatur.

Cum ei recitasset Grynæus historiam de Babyla
Martyre Antiocheno, qui cum grandæua coniuge, &
aliquot filijs ductus esset ad supplicium, & vbi specta-
tor fuisset necis filiorum, ceruicem feriendam præbens
dixit: Reuertere anima mea ad requiem tuam, quia
Iehouah benefecit tibi: liberasti anima mea à mor-
te, pedem meum à lapsu, oculos meos à lacrymis: am-
bulabo in luce viuentium: VVidebramus noster ea valde
delez

delectabatur, & recitabat verba Pauli: Cupio migrare hinc, & esse cum Christo: ac testabatur, se desiderio clari conspectus Dei & liberationis à toto peccato, vehementer affici.

Rogauit autem aliquoties & ipsum & alios quosdam præstantes viros, ut testes essent sui sermonis, quo professus esset, se iam in actu postremo vitæ suæ, cum sensu gaudij spiritualis, doctrinam Ecclesiæ nostræ de Eucharistia & de Spirituali communione corporis & sanguinis Christi, ad cuius agnitionem serò vocatus esset à Domino, probare: eius cognitionem sibi gratulari: & in ea acquiescentem ad Christum Dominum migrare.

Alio quodam die Grynæo dicebat: Tu verò testis mihi es, quod sanctè in fide Christi Iesu, sim mors tuus.

Gratias etiam suo nomine agi voluit, pro beneficijs in sece collatis, & Illustrissimo nostro Principi, Duci Iohanni Casimiro, & Illustrissimæ eius coniugi, ac huius parenti, Illustrissimo & potentissimo Duci Saxonie, D. Augusto, Principi Electori.

Hoc solùm valdè querebatur, quod quum eo animo Heydelbergam accessisset, ut regni Christi negotijs promouendis, reliquum vitæ tempus optimè collocaret, aduersa valetudine præpeditus, minus præstisset quam volebat. Responsum illi est, magnū quidam esse Ecclesiæ caussa, puras ad Deum attollere manus, concipere pias preces & δοξολογίας, publico priuatoque nomine Deo gratias agere pro spirituali & corporali benedictione: ac eo nomine & ipsum & alios pios, plurimum professe Ecclesiæ, etiam quando per valetudinem munia cœtera obire non possunt.

O R A T I O

Decessit piè, placideque vt nouisti, 2 Maij, manè,
intra quintam & sextam: ac verè ijs annumerati po-
test, de quibus dictum est: Beati mortui, qui in Domi-
no moriuntur: quoniam requiescunt à suis laboribus.

Reliquit idem ingenij monumenta non contem-
nenda, venusta & pia Poëmata, quæ propter eleganti-
am magnis illis viris, Domino Camerario & Philippo
probata fuerunt: sed certo consilio hactenus suppres-
sa: quæ si bonis & doctis annuentibus per hæredes edi
aliquando poterunt, eruditæ elegantiæ studiosis non
iniucunda vel inutilia fore putantur.

Hæc sunt, Magnificè & Illustris Domine Rector,
clarissimi Doctores & Professores, nobiles generosi, cœ
terique studiosi luenes , quæ de Doctore Friderico
VVidebramo mihi visum est dicere. Est enim mihi & il-
lius & aliorum defunctorum amicorum cogitatio dul-
cis: (vt cum Seneca loquar) quia habui illos non tan-
quam amissurus, sed præmissurus: amisi autem & præ-
missi illos, tanquam habeam.

Quod si, sententia beati Ambrosij, officium hu-
manitatis defuncto collatum, præstantissimum est: Of-
ficium autem humanitatis est, ei qui piè, iustè, tempe-
ranter vixit (vt noster VVidebramus) virtutis testi-
monium perhibere: equidem eximio humanitatis
officio me defunctum esse; ac mihi candidorum ho-
minum candida iudicia, neutiquam defutura, non in-
iuria persuadeo.

Quod reliquum est, Deo gratias ago, quod Doctori
VVidebramo dedit, vt bonum certamen certaret, cur-
sum consummaret, fidè retineret; ac eundem precor,
vt nobis quoque det , vt in offenso pede per mundi
huius tenebras, ad cœlestem lucem alacres contendan-
mus

FVNEBRISE.

mus, duce & auspice Christo Iesu Domino nostro; at
ut re ipsa experiamur, hunc omnipotentem, veracem
Dei Filium in carne patefactum, in Spiritu iustifica-
tum, nobis & in vita & in morte esse lucrum.

D I X I.

C A R M I N A F V N E B R I A.

DE OBITV

C L A R I S S. V I R I P O E T A E -
L A V D A T I S S I M I , D n . F R I D E -
R I C I V V I D E B R A M I , S . T H E O L O G I A E :
Doctoris, placidè in Christo defuncti
Heidelbergæ:

TELLVRIS ET FOSSORIS.
διαλογισμός.

Tel. **C**Ur propriam fossor violas malefide parentem,
Rumpere cur huins claustra ligone paras?
Nonne aliud fuerat, quo cæca cadavera ponas
Hospitium, an me non tristior extat humus?
Ante salutiferas locus hic proferre solebat
Herbas, nunc terti plenus odoris erit.
Ante puellaris flores hic cura legendi:
Tollere nunc erit hinc ossa recta labor.
Iof. Quid doleas, nescis: fundis sine mente querelas:
Nunc iras, grates sat scio, deinde feres.
Non mihi communis temere pia membra parentis
Rumpere, sed semper mens decorare fuit.

Nunc

C A R M I N A

Nunc quoque quicquid ago, non dedecus, aſc tua ſpetto
Comoda, per longos non moritura dies.

Tel. Ergo age, neue diu mentem ſuſpendito noſtram,
Quid ſibi vule iſtud, dic bone foſſor, opus?

Foſ. Eſc vir doctrinæ fama ſuper æthera notus,
Sedem defuncto h̄ic hoſpitiumq; paro.

Si ferres famâ totum cantata per orbem
Balsama, non tibi tam gloria magna foret,
Quam fuerit pia membra ſenis tumulata fouenti
De quo quam fari pauca, tacere iuuat.

Hei mihi quantus erat, quam muleis ſapè peritus,
Quem Panoris molli ſola fouebit humo!

Hei mihi quam multi buſto hoc poſc multare perto
Secla, loco hoc, dicent, ô VVidebrame iaces.

I nunc atque nouas porrò conſeſſe querelas,
Dum facio ut ſummus ſic tibi crefcat bonos.

Tel. Neſcieram: quaſo nugis ignoſce rogañis:
Tanti hominis ſemper molliter offa tegam.

Ἴπιτάφιος

E I V S D E M.

Hic memorande ſenex poſc mille pericula vita,
Sancte Dei miles iam VVidebrame cubas.

Alter eras Simeon: qui te non nouit, is illum
Cogitet, effigies optima yatis eras.

Ille quidem manibus tenerum portauit Iēſum:
Cura tibi hunc lingua ferre animoq; fuit.

Heidelberga ſibi te tam citò luget ademptum:
Sed ſuperi gaudent, Thariadæq; ſinus.

FVNEBRIA.

Annus & dies obitus.

Vix benè finierant Maiæ sua festa Kalende,
Astra habet arte potens & pietate senex.

I. Rybinius E. Pol. manibus
senis pientissimi sibiique
amicissimi gratificans
egregie.

MEMORIAE D. FRIDERICI VVIDE-
RAMI, OPTIMI ET THEO-
logi, & Poetæ.

SVmmo poëta æquum est poëtas carmine
Memori parentare; Ipse quod facerem libens;
Sed metuo, olores inter anser ne strepam,
Video & voluntati esse vires impares.
Laudes viri ergo tanti ego forte ingenii
Ne deteram culpa (ipsius requirerent
Nam VVidebrami venam, & argutam chelyn)
Tantum à Deo hoc optabo donum Ecclesiæ,
Felix ut illa ita, atque concors floreat,
Ne quando VVidebrami opem desideret.

V. A. P.

EPITAPHIVM

FRIDERICI VVIDEBRAMI

D. THEOLOGI,

Scriptum à

DAVIDE PAREO SILESIO.

F Riderici hac regit urna VVidebrami
Doctoris pia membra: quem Naricis
D Posnicum

C A R M I N A

Traetus è per vim, quod vel præsaga futuri
Mens foret, aut fugeret grande laboris onus.
Nec mora, cum reliquis, sic Electore iubento,
Nomine Doctoris claruit, inde crucis;
Dogmata quod nollet Torgæ composta probare,
Scripturis sacris esse aliena ratus.
Post tamen infractus paulatim carcere, ijsdem
Applicuit certa conditione manum.
Liber ab hoc ternis Neoburgi substitit annis,
Quo miserum voluit Dux remanere loco.
Tandem cum fixum nollet deponere sensum,
Saxonicos, iussus linquere, liquit agros.
Vxoremque trahens secum, natosq; tenellos
Nassouij petiit rura vetusta soli.
Doctrinæq; pia Decianis pauit in agris
Commissum, fermè per duo lustra, gregem.
Inde Eitelbergam venit, pars vna Senatus,
Omnia quo Princeps templi scholasq; regit.
Sævitia hic morbi post annum est mortuus, inter
Suffultas solida spesq; fideq; preces,
Quas numeris solitus fuerat comprehendere doctis,
Ut probat Isaidæ nobile regis opus,
Æmula complectens Romanæ carmina lingua,
Sive Sibere tuis, sive Eobane tuis.
Tres nati, totidem natæ cum matre, rogarunt
Versibus appingi tale Epigramma meis.
Iure exceptasti cœlestia gaudia votis
Fridrice, in terris dum miser hospes eras.
Altera tristitia vita pars, prima laborum,
Morborumq; tibi tertia tota fuit:
Sudasti iuuenis, vir flesti, iamq; senescens
Ex virtute stomachi deficiens, obis

F V N E B R I A.

*Ad tempus, nobis: Domino tua vita superficies,
Est & erit: credens interiisse nequit.
Inseruit vita vici qui palmes adhaeret,
Non meruit falcem, mors violenta, tuam.*

Simon Stenius Lomacensis.

A L I V D.

VVidebramus amicis loquitur.

*Quam mihi terra dedit patriam malè fida, repulsum
Egit in exilium.
In cælis pia quæ mansit me patria, tristi
Eximit exilio.
O nati, ô coniunx, meus, ô vos, sanguis, amici
Sistite nunc lacrymas.
Ut mundo nasci mors est: sic prorsus, eidem,
Est noua vita, mori.*

Syluester Steyer Leoualla.

C Y G N V S C A N T A N S.

E P I G R A M M A

I N O B I T V M F R I D E R I C I
V V I D E B R A M I T H E O L . D.
scriptum ab

E B E R H A R D O D E D E K I N O B R E M E N S I.

F Ama fidem fecit moriturus ut ardua Cygnus
Aptet in argutos ora, trahatq; modos:
Scilicet à Zephyris rbi forte remurmuret aér,
Spirituumq; aleo in gutture format opus.

D 3

Qui

CARMINA FVNEBRIA.

Qui viensigitur se nulla in carmina soluit,
Dulcia sub media carmina morte canit!
Ista subiecta rebus Naturæ abscondita virtus,
Mortis & hac nostræ symbola cygnus habet.
Sic audit a senis vox est Simeonis ad aras,
Sic tua in algenti vox VVidebrame thore.
Scilicet afflatum calo se sensit veerq;
Et sibi promissum vidit veerq; D E V M.
Ille oculis & corde simul: qua parte beati
Quisq; sumus; tantum hic non dubitante fide.
Nil oculis vidisse iuuat, si pectore nolis:
Corde suo Christum qui videt, ille videet.
Nec cœli tantum hinc metuas bonus interuallum,
Quonunc à nobis carne Redemptor abest.
Namq; suo præsens immenso numine, regnum
Vi patriæ exercet victor ubiq; suum.
Nec tibi simpliciter quoq; corpus abesse putabis,
Membra suo capiti si sacra Flamma liget.
Inde mori sanctis dulce est, omnisq; sepulcri,
Terror in æterne gaudia lucis abit.
Nempe Deo vitam si quis moriente recepit,
Huic mors in viuo fit noua vita Deo.
Hic si se videat promissa in pace resoluti,
Dulcia cygnæo carmina more canat:
Grata quies tumulus, quibus est fundata superne,
Statq; fide in passo spes animosa Deo.

F I N I S.

B. Igna.

B. Ignatij dictum:
AMOR MEVS CRVCIFIXVS EST:

Versibus expositum à clarissimis & præstantissimis viris:

Io. CRATONE, Archiatro Cæs.

PETRO MONAVIO, Medico Cæs.

IACOBO MONAVIO, Patritio Vratisl. &
NICOLAO RHEDINGERO, Patritio Vratisl.

P. M.

F Igitur, heu, tristi ligno meus ardor I E S U S :
Et mea vita cruci morte peremta cadit.

Quām fuit hic verus, nec ficti pectoris ardor :
Cūm pro me lethifonte subiuit onus !

O vrinam dignas possem persoluere grates,
Et possem hoc solo semper amore frui !

O amor, ô noster, spes ô dulcissima, I E S U S :
Nos vt amas; sic te fac vt amare queam.

Ah pereat, cui non amor hic magis omnibus vnuus.
Sic placet, vt nullum querat amorem alium.

Te mihi Christe peto; nostri tu semper amorem
Conserua: vt viuus te, moriens Et, amem.

I. C.

F Ixus in hoc ligno meus est Amor vnuus I E S U S :
Morte sua vitam qui mibi restituire.

Ah vrinam dignas possem persoluere grates !
Verum opis hoc nostræ non satis esse scio.

Spes mea Christie Deus, me respice: vt huius amoris.
Quo foueor viuus, sim memor immoriens.

Sic moriens viuam, sic vitam morem lucrabor;
Nam tuus in vitam me reuocabit ambo.

Qua

N. R.

Quia putris incoreis fundit se in brachia nodis
 Arbor, in infames noxa parata reos:
 Hic regna: hic arces: hic nostri portus Amoris:
 Hic vita fulcrum delicium mea.
 Hic lethi spolium, partique insigne trophaei
 Christe cui: hic sonci est Ara parata gregi.
 Quae pietas! hostes in parti iura triumphi,
 In partes regni Christe vocare tui!
 O flamma, ô amor, ô aeterni fomes Amoris!
 Vitam e vulneribus vulneris autor habet.
 Fronde carens arbor pleno se germine prodit,
 Et radice carens vertice summa ferit.
 Quamque notat praeceps infami nomine vulgus,
 Hinc vita & famae manat origo mea.
 Nulla alia hos fructus, nulla hos tulit arbor Amores,
 Nec Libani tales procreat hortus opes.
 Et mortem dubitet quis pro crucis arce pacisci,
 In media noster si cruce regnat Amor?

I. M.

Christe tuo partos ne despice sanguine vernalis,
 Qui vita hac ponunt in trabe fulcra suæ.
 Excute vitalem gelidis praecordibus ignem,
 Quæsum posita in Flamma est spes salus tua.
 Nam quid? ad hunc si Christe tuum torpebimus ignem,
 Quis miseris poterit iam satis esse calor?
CRVX TVA NOSTER AMOR: quid non speremus Aman-
 Fortius in media si cruce feruerit amor. (cese)



Ok. 6. I. 3041